





43.

PRÆSES H. T. MEDICORUM ORDINIS,  
**JOHANNES LEMBKE,**  
MEDICINÆ DOCTOR ET PROF. ORD.; ACADEMIÆ  
ET FACULTAT. MED. SENIOR, NEC NON CIVITATIS  
GRYPHICÆ PHYSICUS,

AD INAUGURALEM

*de Excretione Portionis intestini jejuni per  
guttur inferius, salva manente ægri vita,*

DISSERTATIONEM

PRÆNOBILISSIMI ET DOCTISSIMI  
MEDICINÆ CANDIDATI,

DOMINI

**ANDREÆ WESTPHALII,**

GRYPHISWALDENSIS,

ANNO MDCCXL. DIE DECEMBR.,  
PUBLICO SISTENDAM EXAMINI,

OMNES,

QVOT QVOT VOLUNTATE IN MEDICINAM  
DUCUNTUR PROPENSISSIMA,

QVO PAR EST, REVERENTIÆ ET HONORIS CULTU  
VOCAT ATQVE INVITAT,

PRÆFATUS

DE PARADOXIS MEDICIS.

---

GRYPHISWALDIE, PRÆLO STRUKIANO.







**P**aradoxorum nomine, in Scholis Stoicorum, ejusmodi insigniebantur placita, quæ, ex illorum quidem mente, sint mira, atque ab aliorum hominum opinione recedant longius, atque abhorreant. Aliis placuit, vocem paradoxorum iis imponere, quæ sint mirabilia; ne fando quidem audita, atque ex omni fæculorum memoria vix fuerint cognita. Alii nomen hocce ad ea, quæ primo sensus suspendant, deinde autem aliquid præter expectationem subjiciant, pertraxerunt. Optime antem illi suas subduxisse rationes, videntur, qui sub paradoxorum nomine ea conluerunt, quæ contrâ præsumptionem contingant, ita quidem constituta, nulla ut eorum inventari ac reddi statim possit ratio. Sub PARADOXIS MEDICIS ea itaque comprehendam, quæ in rebus, ad medicinum pertinentibus, præter opinionem, offeruntur; in quibus tamen ratio, & cur evenerint, invicto argumentorum robore non potest demonstrari. Omnen etiam hujus generis vidisse exempla, eademque occurrisse sepius, partim comprobat experientia, partim ex illis, qui observationes compilarunt medicas, redditur manifestum, partim etiam secutæ paginae edocebunt. Ita namque, meis ut assertis lumen astundatur clarius, vitam hominis sine cordis motu, non posse manere salvam ac teclam, res est, quæ omnibus est nota, quam quæ notissima. Imo etiam vulnerus non adeo grave, cordi inflictum, statim mortem vulnerati continent habere, illumque rebus humanis exinere, auctores illi, quibus casus de lethaliitate vulnerum debemus congestos, luculenter exposuerunt: sicuti ratio etiam ipsa hoc jubet. Verum enim vero, quis summa animi admiratione non corripiatur, qui legerit, homines sine corde vitam ac spiritum traxisse. Ita namque Hafniæ latro quidam, miferrimo supplicio affectus, corde evulso, caput adhuc commovit, cor-

que suum resectum contemplatus est attentius, notante THOMA  
BARTHOLINO *Cent: III. Histor: V.* In FRANCISCI BACONIS  
VERULAMII *Historia vite ac mortis* legitur relatum exemplum hominii  
exenterati & per rotam dissecti; qui aliquod post tempus edidit  
voces, corde exempto & partibus a toto separatis. Idem de quodam  
Indo, postquam cor fuerit exsectum & immolatum memoriae traditur;  
is, dicitur cum de scalis praecipes daretur, Hispanos his allocutus esse  
verbis: *equites mactarunt me;* teste HORNII *Historia naturali.* Et, quis fibi habebit persuasum, fieri potuisse, ut homines in  
lucem editi vixerint sine cerebro & cerebello, quod tamen evenisse  
testatum reliquit SAVIARD, Chirurgus Gallicus; consulatur *Journal  
des Scavans de l'âme 1690.* Est ibidem commemoratum, a femina quadam  
infantem sine cerebro & cerebello, fuisse exclusum. Et de in-  
fante, legitimum partus terminum adepto, bene ceteroquin formato,  
narrat MERIY, illum cerebro & cerebello fuisse desitutum. Adeas  
*bistoriam Academia regie scientiarum Parisiensis, anni 1704.* De pu-  
ella, sine cerebro nata, in subsidii partes vocandus est BLEGNI *in Zo-  
diaco medico Gallico ann: 1681. mens: apritis, observ. III. p. 54.* Ho-  
minis, absque stomacho viventis, facta est mentio *in Ephemerid: Natur.  
curios: Dec: II. Ann: 3. observ: 44. p. 124.* Vulnerato tonsor quidam  
propendentem liensem, ignorantia ductus, abscedit; qui tamen sanita-  
ti fuit restitutus; prout BARTHOLINUS *Cent: IV. Histor: med: p.  
51.* dedit expositionem. Neapoli quidam liensem ali sine noxa exemit.  
Possent adhuc plura in medium proferri exempla hominum, qui sine  
hepate, renibus, vesica urinaria, intestinis, pericardio, utero, ceteris,  
vitam degerunt: sed paginarum angustia hec non capit. In eo potius,  
quod incepi, stadio decurrat, paradoxa quadam medico practi-  
ca, ex aliis partim auctoribus defunta, partim quoque in praxi mea  
observata, enarraturus. Primo vero omnium meam in se convertit  
mentem Historia illa mirabilis de medicato manus tactu, quam JOH:  
NICOL: PECHLINUS *in observ: Physico medicis p. 476.* exhibuit;  
ubi Hibernus quidam, Valentinus Greatrakes celebratur, quod omnes  
fere morbos, solo tactu, persanaverit, manu semel admota, fugien-  
temque dolorem ad extrema usque persequente. Quod si dolores  
pertinacius infisterent, impositamque manum morarentur, iteratis fri-  
ctionibus, facile eos de loco ad locum, & a nobilioribus membris, ad  
igno-

ignobiliora, tandemque ipsa corporis extrema derivabat, plerique tamen omnes ad medicata manus contactum, velut fascino deliniri; morbos, sentiebant. Sustulit autem solo manus attachu paralysin, Hemiplegiam, cephalaeam, Vertiginem, cæcitatem, furditatem, tabem anglicam, hydropem, tympanitidem, arthritidem vagam, podagram, calculum, pleuritidem, Diarrehoam, vomitum, febes omnis generis, dolores, tubercula, œdemata, ulcera, carcinomata, sinus putridos & fistulosos, scrophulas, deploratum alias malum. In sanandi formula, id non tantum deprehensum est prodigiosum, quod solo attachu, liture iterato, sanatio fieret, sed quod ipsa illa natura, medicata manus auxilio semel excitata, ad omnis generis excretiones, fidores, vomitus, diarrhoeas, aut insensilem transpirationem, materiam morbificam converteret, seque onere liberaret. Retuli hæc fide ac verbis Pechlini, qui simile quid de Monacho quodam, ex Italia oriundo, recentet, quippe qui, solo manus attachu, adjecta benedictione quadam divina, multos morbas profligaverit atque proscriperit. Icterum pertinacissimum, sola chelidonii majoris applicatione in furas, fuisse curatum, commemorat JOH. HENR. SCHÜLZIUS in disputatione *de Ictero per applicationem Chelidonii majoris curato*. Negotium hujus rei ita quidem fuit gestum: Studiosus quidam, cum adre vellet Lutetiam Parisorum, in itinere constitutus, ictero fortí est correptus, qui omnem remediorum vim irritam reddit ad eo, ut æger jam in mortis fauciibus hæreret: accedens vero rusticus afferebat, ægrotum e morbo esse evasurum, si tantummodo chelidonium majus ad furas applicaret. Quibus factis, interposito paucarum horarum spatio, vesiculæ, luteo repletæ humore, in illo loco, cui chelidonium fuit applicatum, prominuerunt, quibus resectis, humor luteus magna copia effluxit, ægerque mortis periculo subductus, cum sanitate iterum redit in gratiam. Incontinencia urinæ diurna, solo pulvere bufonis vivi in nova olla usci, sacculo inclusa, & collo appenso, fuit correcta, ac penitus sublata. Causam hujus rei JLL: HOFFMANNUS Disputatione *de incontinentia urina post partum difficultem*, peroravit. Majorem vero attentionem provocat observatio ROBERTI BOYLEI in Tr: *de utilitate Philosophie experimentalis*, qui exemplis, e praxi petitis medica, concire contendit, in uteri hæmorrhagia, etiam fortissima, si omnium aliorum medicamentorum virtutes eadem excesserit, superaveriturque,

nihil promptius adferre auxilium, quam Jaspideum rubram, aut punctis  
rubris interfersam, collo gestatam, aut carpo alligatam, aut manu  
detentam. Et quotie occurunt observationes de remediis sympa-  
theticis in vulneribus, admodum periculosis, & hæmorrhagiis, alias  
lethalibus, institutis, quæque spem medentis non fefellerunt. De  
Pthysi etiam consummata prostant observationes, illam fuisse sedata  
fluxu copioso materiæ ulcerosa ex pulmonibus per alvum. NARDUS,  
Medicus Italicus, in Libro, qui nomen in fronte gerit præfixum: *Nox*  
*genialis*, de nobili quodam tradidit Veneto, illum jam per annum  
pthysi fuisse afflictum consummata: accedente vero effluxu materiæ co-  
piosa, ejusque ulcerosa per alvum, e pthysi illa evasisse, vitamque co-  
luisse prosperrimam. Pleuritidem ex impositione vesicantium  
erui atque converti, auctor est GEORGIUS BAGGLIVIUS in Op: me-  
dico-practicis & anatomicis; in quibus horum quidem verborum fa-  
cultas præbetur: quicunque die secundo scilicet aut quarto, quinto, sep-  
timo, ante vel post factam sanguinis missionem, spirandi difficultas, &  
difficultas pariter exscreandi sputi, pleuritico superveniant; statim duo  
vesicantia tibiis admoveo juxta illud Hippocratis in prognost: in  
pulmonibus quicunque tumores fiunt ad crura, opti-  
ma &c. Post apposita vesicantia, observavi, expectorationem statim  
promoveri, spirandi difficultatem imminui, & alvi fluxum, si adst,  
sciliciter sibi; omnesque pleuriticos, talibus symptomatis, affectos, bre-  
vi & feliciter sanatos vidimus. Ita quidem ille. Finem denique pa-  
radoxis ejusmodi medicis recensendis faciat casus, quem ipsi nobilissimo  
Domino Candidato observare, licuit; Miles quidam tumorem  
durum erica tempora, in illo quidem loco, ubi ossa temporum cum  
osse frontis, sphenoideo & bregmatis, sunt conjuncta, sentiebat. Ad tu-  
morem hunc debellandum varia applicabantur remedia, qua status  
morbi exigere videbatur. Enim vero omnia in irritum cadebant, &  
tam tumor, quam duries ejus per quatuordecim dies producebantur.  
Tandem Chirurgus, xgroti medelam paratus, mane accedens, repe-  
riebat, tumorem illum, qui die antecedente adhuc admodum  
durus, fuisse sublatum; simul tamen observavit, materiam ulcerosam  
& sinu ossis maxillaris effluxisse, illudque os, ut & musculos, hocce ob-  
tegentes, perforasse, & quod mirandum, ossa illius loci, quem tumor  
occupaverat, talem mollicitem induisse, ut tactui etiam cederent. Qui-  
cunq;

cunque igitur iusta perpendit estimatione, quæ hactenus in numerum paradoxorum medicorum sunt conjecta, ille sententiam meam suo excepit assensu, ea esse talia, quæ facta sint præter opinionem; quo rur tamen ratio, & cur facta sint, invicto argumentorum robore ad liquidum perduci non possit. Nam quis evoluerit, atque enodaverit rationes, cur Hibernus ille, morbos, quos pertinacia alias præstisit invictos, solo manus attacatu potuerit debellare ac prostertere; quis redet rationes, fundamentis superstructas certis, quare chelidonium magius, ad furas applicatum, iæterum, qui ad supremum procecerat gradum, sola ad collum appensio pulveris bufonis usci, incontinentiam urinæ; Jafpis manu detenta aut collo appensa, hæmorrhagiam uteri fortissimam coercere ac reprimere potuerint. Quis rationibus viam aperiet, per quam materia, ulcus pthyicum producens, ad infimum ventrem fit derivata alvoque ejecta? Quis veritatem extorserit, quomodo vesicatoria in pleuritide effectus tam eximos præstare potuerint? Quis denique lumen prætulerit desideranti, tenebrisque circumfuso, quomodo contingere potuerit, ut materia ulcerosa, quæ tumorem in osse temporum generat, e sinu ossis maxillaris effluere, cum nulla ab illo, ad hunc locum via pateat. Sunt hæc, quæ in doctrina paradoxorum medicorum, hujus plagulae admisit angustia, & præsentis scriptoris genus mihi imperavit. Huic quidem Disertatio inauguralis nobilissimi atque doctrina eminentissimi Domini Candidati, ANDREÆ WESTPHALII, thema certe satis paradoxum, *de Excretione portionis intestini jejuni per guttur inferius, salva manente agri vita*, excutiens, locum fecit, ansamque subministravit.

Cum vero res Academiarum eo consuetudinis sint adductæ, ut Doctoris nomen & insignia percepturi, memoriam vitæ ac studiorum, brevi commentatione comprehendant; hanc quidem Domini mei Candidati, (quem in deliciis habeo, quique brevi lane tempore, quæ gratia fuit divina, tam feliciter adolevit, ut ætate superior esse videatur;) disertis ipsiusmet verbis, ac proprio calamo, expressam, omnium in conspectum producam.

*SHARIFFI-*

◎ ◎ ◎

Subvisimam hanc lucem adspexi, ejusque communem usuram  
haurire cœpi Gryphiswaldia, Anno hujus Seculi XX., die XIX.  
Februarii. Miror certe hanc gloriam, ac veneror, me natum,  
hancce urbem attigisse, genitricem illam optimorum ingenio-  
rum fœcundam, que ad omnis eruditionis laudes, surrexerunt  
altissime. Parentem colo Dn. ANDREAM WESTPHALIUM,  
Moral. & Histor. Prof. Publicum: matre genitus sum Dn.  
ANNA SOPHIA GADEBUSCHIA, morum sanctitate,  
ac sexus sui ornamentis, spectatissima. Quodsi ponderis  
aliquid & presidii possum esset in familiarum origine texen-  
da, longam earum possem concinnare seriem, eandemque claris  
quondam Academie Grypice luminibus, Rungiis ac Willman-  
nis, exornare: præsens vero negotium meam mentem ad alia  
revocat. Ætate teneriori superata, omnem per cultum hone-  
starum artium ac disciplinarum, animum que expoliunt, co-  
piam orationi præbent, ornamentum afferunt, pueritiam at-  
que adolescentiam transagi, faciliorem atque proniorem ad  
easdem, preter alios, viam monstrante atque aperiente, Viro  
excellentissimo, summeque Venerando, Dn. D. LAUREN-  
TIO STENTZLERO, qui tunc quidem temporis, felix  
quippe ingeniiorum formator, in schola hujus urbis juven-  
tuti fidelissimam ac dexterissimam dabat operam, illamque  
institutis auctam præclarissimis enutriebat. Cura itaque  
educatus intentiori, ac disciplina scholastica excultus juste,  
atque imbutus, in tabulas Academie Anno MDCCXXXIV.  
sum relatus, cum Vir Magnificus Dn. D. JOH. LEMBKE,  
reipublice huic literaria præfesset ita, ut omnibus ejus fides  
atque integritas esset gratissima pariter atque acceptissima.  
Cum inter ceteras animi, dotes ad artis salutaris doctrinam

miras

mira quadam indoles & natura, quæ Viri illius, quem diximus, Illustr. exemplo, admodum conspicuo, magis ac magis accendebat, in me eniteret; in artem quidem medendi, quæ certe e calo est devocata, toto animo & studio omni in- cumbebam, nactus, id quod Dei immortalis nutu atque consilio gestum est, ac provisum, duces, reconditæ doctrinæ glo- ria excellentes, operamque probatissimam perpoliendæ juven- tuti, quæ ad Sacra hæc contendit, impendentes, Viros sc. excellētissimos atque experientissimos Dn. D. JOH. LEMB- KENIUM, nec non Dn. D. CHRIST. STEPH. SCHEFFELIUM. Ex illius quidem ore venerabili doctri- nam, quæ ad ipsas naturæ latebras parat aditum, atque omnia arcana perscrutatur & excutit: Sublimiorem porro rerum naturalium scientiam, quæ ad fontes nature descen- dit abditissimos; nec non philosophiam illam, quæ rationes corporis humani exponit, reliqua, hausi ac percepit. Dn. D. SCHEFFELIO duce, omnium disciplinarum, quibus medi- cinae ambitus absolvitur, campum sum emensus. In hoc ta- men itinere, difficillimo alias, ac longe lateque diffuso, fontes aperiebat amēnissimos, quorum rivuli tempore consecuto, in me derivati sunt largissime. Ad virtutem & artem vite, recte, sapienter ac cum dignitate instituenda, eruditus sum præceptis a Venerando meo Parente; quo ducente per- lusitri etiam orbem, & civilem, et eruditum, ita quidem ex- bibitum ac representatum, ut non rerum gestarum modo casus atque eventus, sed rationes etiam, causeque noscerentur. Doctrina vero morum, cum historia arcta adeo coheret vincu- lo, ut nulla disciplina tam sanctam colant amicitiam, mu- tuamque sibi operam praestent. Idem & ingenium meum ad sermonem latinum construendum effinxit. Præceptis dirigen-

X)(

da



*de rationis, a Viro Excellentissimo, DN. GEORGIO ALBERTO SCHWARTZIO sum imbutus. Aures etiam meas dedi recitationibus Viri Clarissimi, DN. M. PETRI AHLWARDTII, logicis, metaphysicis, pariter ac mathematicis. Anno hujus faculi, qui agebatur XXXVI., Preside DN. D. CAVANO, publico subjiciebam examini Positiones anatomico physiologicas, de Anatomiae præstantia, definitio- ne, & ejusdem historia. Quoties mibi suggerebatur oc- casio, sententiam meam dicendi contra alios; aut eam ab alio- rum insultibus defendendi, vires mei ingenii strenue atque acri- ter exercui.*

*Confecto sic Gryphiswaldie studiorum meorum cursu, pe- regrinationem ad exterros anno MDCCXXXIX. suscepi, am- pliorem medicinæ copiam mibi paratus. Ea mente, eoque consilio, Berolinum, illam elegantiarum omnium sedem ac do- micilium, concessæ, ut in doctrinarum illarum, que in singulis humani corporis partibus, abditis venarum ductibus explo- randis versatur, ac que manu medetur, arcem contenderem quam maxime. Est enim Anatome velut Atrium, quod in- gredi coguntur, quotquot in intimos medicinae recessus sa- gunt penetrare. Aditus hic mibi patuit facilissimus ad Viro- rum summorum, puta, DN. D. AUGUSTINI BUDDEI, Ar- chibatri Regij atque Consiliarii aulici; DN. CAROLI NEU- BAUERI; DN. D. SAMUELIS SCHARSCHMIDII, cui nuper bodiernus Rex Borussie, curam ac custodiam sue salu- tis commisit, amicitiam ac benevolentiam. Sub BUDDEI quidem auspiciis, omnes partes sectorum corporum sedulus per- quisivi, demonstrationibus ejus Anatomicis mire delectatus. DN. NEUBAUERUM in Operationibus Chirurgicis, rite & recte suscipiendis, babui præcuntem. Fidelem DN. SCHÄR- SCHMI-*

SCHMIDII operam sum expertus, in medicamentorum facultatibus cognoscendis, medicina caute exercenda, & parte illius, que victu curat ac medetur. A spectaculo illo deformi, ac miserando operationum, quod in hospitio Invalidorum edebatur, nil quoque animum potuit retrahere, atque avocare. Quin ipse manus non raro admovei, vulnera, ferro & medicamentis curaturus. Visis denique omnibus, qua exemplo, raritate, antiquitate sunt conspicua, quibusque supplex et librorum regia, eademque splendidissima, natureque artis & nummorum promptuarium instructissimum, superbunt ad invidiā usque. Jenam iter intendebam, sed dulcedine Musarum Hallensium detentus, Halam studiorum meorum sedem ac magistram elegi, ad summorum Virorum, quorum fama Europam, quanta est, peragravit, quique Academie bujus laudes sparserunt latissime, disciplinam & elegantiam ulterius excolendus. Neque expectatio illa me fessellit. Optimarum namque, & saluberrimarum doctrinarum semina, a Magistris, qui summorum Medicorum nomina cum gloria ac dignitate tuentur, percepti uberrime. Nullum est honoris genus ita magnificentum, ita edito in loco sicutum, quod non summis virtutibus & meritis, prorsus in me eximiis, illustr. FRIED. HOFFMANNI, qui omnem orbem ad cultum, venerationemque sui nominis convertit, postquam perfectum Medicine decus sub eo erupit; nec non Viri Excellentissimi, D.N. D.JOH. HENR. SCHULTZII, qui per vestigia doctrinarum Hoffmanni decurrentes, magnitudini ipsius est successurus, impetu animi devoti existimem deberi. Nec tamen sua laude JOH. JUNCKERUS, BASSIUS, CASSEBOHMIUS, KRUEGERUS, sunt defraudandi, quippe cum studia mea in Anatomicis, Chemicis, Chirurgicis, nec non Physicis, sibi habuerint commendatissima.

Nasce



Hasce studiorum rationes Hale ingressus, iter Gryphiswaldiam Anno MDCCXL. mense Octobris relegi, hic fortunatum meum, siquidem a summa sapientia hoc fuerit dispositum atque constitutum, sedem collocaturus. Fidem illis prebui promptam, paratam, expositamque, qui opem meam qualemcumque, in morborum remedia postularunt. Ingenium meum, ut recitationibus aleretur ac firmaretur Academicis, grata Facultate indulgente, studiose juventuti, que indolem selectiorem studiis admoveat medicis, scholas aperui anatomicas, sedulo frequentatas. Aditum vero ad Jura & honores Doctoris mibi paraturus, desiderium illustri, atque gratiose Medicorum ordini, qua par fuit reverentia, significavi, qui & omnia retulit ad arbitrium potestis.

Postquam itaque Nobilissimus Dominus Candidatus, privatos inter parietes, in experimentum fuit rogatus, omnem in partem virtus illius fese approbat. Ordinis igitur, nec non æquitatis ratio jam exigit, ut eruditione, uberior & publice explicata, frustum suæ eruditionis serat glorioissimum.

Actui huic solemni, ut Magnificus Dominus Pro-Cancellarius; Magnificus Dn. Rector; Generosus Di-casterii Regii Director; utriusque incliti Collegii proceres; Optimi hujus civitatis Patres; Ministri verbi divini colendissimi; Illustris, Generosa ac Nobilissima juventus Academica, animis intersint faventibus, omnis observantie & humanitatis significatione, rogo ac contendeo.

P. P.  
GRYPHISWALDIAE  
SUB ORDINIS MEDICI SIGILLO  
Die Decembr.  
ANNO MDCCXLI.

200 A 6272

f



TA-OL

Retro ✓





PRÆSES H. T. MEDICORUM ORDINIS,  
**JOHANNES LEMBKE,**  
MEDICINÆ DOCTOR ET PROF. ORD.; ACADEMIÆ  
ET FACULTAT. MED. SENIOR, NEC NON CIVITATIS  
GRYPHICÆ PHYSICUS,  
AD INAUGURALEM  
*de Excretione Portionis intestini jejuni per*  
*guttur inferius, salva manente ægri vita,*  
DISSERTATIONEM  
PRÆNOBILISSIMI ET DOCTISSIMI  
MEDICINÆ CANDIDATI,  
DOMINI  
**ANDREÆ WESTPHALII,**  
GRYPHISWALDENSIS,  
ANNO MDCCXLI. DIE DECEMBER.,  
PUBLICO SISTENDAM EXAMINI,  
OMNES,  
QVOT QVOT VOLUNTATE IN MEDICINAM  
DUCUNTUR PROPENSISSIMA,  
QVO PAR EST, REVERENTIÆ ET HONORIS CULTU  
VOCAT ATQVE INVITAT,  
PRÆFATUS  
DE PARADOXIS MEDICIS.

GRYPHISWALDIÆ, PRÆLO STRUKIANO.